30 237. 1

Viro nobilissimo ac Celeberrimo
Theophilo Sigefrido Bayero
Regiomontano
academiæ Petropolitanæ Socio.

S. p. d.

Gustavus Benzelstierna.

Redditæ mihi sunt litteræ Tuæ datæ III. Kal. Febr. et quantum ex iis gaudium ceperim, velim ut vel me tacente intelligas ex proxime superioribus meis datis d. 21 Febr. quas Te recte accepisse non dubito. Significavi in iis quantum Tibi debeam ob missam Historiam Osrhoënam, sed opere omnigena eruditione refertissimo postea perlecto jam primum cognovi quo in pretio haberi debeat. Plura non addo, cui enim usui inter amicos verborum ampullæ et calamistri? Ex judice

1v

Scriptorum nostrorum misso ad Excellentissimum
Dominum de Korff, cujus in me favorem et
benevolentiam Tibi imputo, intelliges editos
heic esse actorum Societ: Regiae Tomos duos
inde ab. a. 1720 ad 1729. Putaveram eos
jam dudum ad vos perlatos fuisse. Nunc
prima occasione oblata mittendos curabo.
De antiquitatibus Fennicis magnae apud nos
tenebrae. De Livonicis utinam quaedam sup-
peditare posset Dom: Schiörströmius. Non
desinam eum compellare ut primum a vobis
cognoscet eas vestratibus cordi esse.
De Biarmis exstant aliqua in Historiis
Islandicis quae communiter Sagor audiunt
sed nec earum omnes, licet editae, Latinitate
donatae sunt. De situ plane assentior
Torfaeo, nam nec Islandis ipsis, licet de
rebus ibi gestis quaedam accepissent a
majoribus tradita, de situ constitisse puto.

de Jotunheimia quaedam inveniet in opusculo Biörneri quodam quod in Indice indicare oblitus sum, quodque Tibi mittam ut primum invenerim quendam cui tradam.

Ogerus Danus, ut verum dicam, fabulam olere mihi videtur, nec ab ea plane vindicatur Mandavillius ne quidem apud Danos ipsos ut video apud Sperlingium de Regio apud Danos Titulo Konning p. 16. Habeo de Ogero Dano librum Bartholini junioris, quem Tibi mittam ut rem per Te cognoscas et dispicias. omnia enim mea Tecum communia erunt, id quod et, ut spero, a superioribus meis litteris accepisti de vita Alfredi Spelmanniana.

Plura jam addere non vacat, ignosce, vir optime, festinationi meae. Dabam Stockholmiae d. 28 Martij 1735.

2v

P.S. Dom: Serenius auctor Lexici anglo-svethici
non ita pridem editi mihi narravit se Tibi et
D. Ihremano V. Clarissimo, quem Londini cognovit
utriusq vero vestrum memoriam officiose colit,
misisse exemplaria hujus operis mense Majo anni
praeterlapsi. Sperat vos ea recte accepisse, ut
boni consulatis, orat.
Quod ad Esthonica attinet, possideo Henrici Gösekenii
Hannovera-Brunsvicensis Manuductionem ad linguam
oesthonicam, Germanice editam Revaliae 1660. 8.
Nihil hic liber ad antiquitates Esthonicas, sed de
lingua satis bonus, cujusque linguae summa affinitas
cum Fennica exinde hauriri potest. Fertur hoc
opusculum hic satis rarum esse, eoq indicandum
putavi, quamquam forte noctuam Athenas.